

120

Romani obtinuerunt Olym. CLXXVI. U. C. DC LXXVIII. ex Ap-  
pian. Civil. I. quam una cum Cretâ Augustus Populo concessit.  
Strabo lib. XVII. Nunc, inquit, Provincia est Cyrenaica cum  
Creta conjuncta. Suetonius Cap. 2. de Vespasiano scribit: Quæ-  
stor Cretam, & Cyrenes provinciam forte cœpit. Imperante Augu-  
sto erat Provincia, ac Proconsules in eamdem annui mittebantur.  
Tacitus lib. XV. scribit Claudium Timarchum Cretensem accusa-  
tum, quod diditasset in sua potestate situm, an Proconsulibus,  
qui Cretam obtinissent, grates agerentur. Idem lib. III. An-  
nal. nominat Casium Cordum Proconsulem Cretæ, uti superius no-  
tavi. In vetustis Inscriptionibus pag. CCCCXV. 5. Q. Garcilius  
Macer, & MXCI. 6. Q. Cacilius Rufinus dicuntur Proconsules  
Cretæ & Cyrenarum. At pag. CCCCXXXIII. 1. Q. Luxilius  
Egnatius inscribitur PR. PR. PROV. CRETÆ. CTR. Proprator  
Provincia Cretæ Cyrenarum. Non semel enim provinciæ Populi  
ab Augustis per Propratores administrata sunt, sive bello in pro-  
vinciis exorto, sive Senatus, ac Populi potestate in ordinem reda-  
ctâ, quod sequiori Caesarum Imperio contigit.

TRIB. LATICL. LEG. III FLAV. Tribuno Laticlavio Legio-  
nis III Flavia. C. Luxilium senatorii ordinis fuisse vel ex  
hoc intelligi potest, quod Legionis III Tribunus Laticlavius  
fuerit, quum ii dumtaxat Tribuni laticlavii dicerentur, qui-  
bus laticlavi (senatoriæ dignitatis is erat insigne) gerendi jus  
erat. De hoc Tribunorum ordine Statius Silv. 1. lib. V.

*Quem deceat clari præstantior ordo Tribuni.*

Vid. Lips. de Milit. Rom. lib. II. cap. 9. & Pancirol. Notit.  
Dign. Imp. Orient. cap. 37. & Gor. in Annot. ad Inscr. 8.  
Cl. V. Donian. Collect. Legionem quartam Flavio cognomine  
honoratam exhibent & alia marmora, quæ longum esset re-  
censere.

PATRONO COLONIARVM PISAVR. ET FANEST. Addi-  
tur demum C. Luxilium Patronum fuisse Coloniarum Pisau-  
rensis & Fanestris. Id profecto in causâ fuit, ut Pisarense  
C. Luxilium statua inauratâ donaverint. Quemadmodum quæ-  
cumque Civitas plures habuit Patronos, ut ex Cæsare constat  
qui lib. I. Civil. c. 35. se, & Cn. Pompejum a Massiliensibus  
Patronos designatos scribit, adeo Cicero in Pison. & pro  
Sextio, se unum a Capuanis Patronum ascitum vehementer  
glorietur, ita plures Civitates eundem sibi Patronum adopta-  
bant, quod & ex hac Inscriptione discimus & aliâ n. XLIV.  
In Gruteri item opere pag. MXCVIII. 1. L. Novius Verus

OC-